

aliis mirantur: hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere: quum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere, quum virtutis possibilitas deest, quidquid per malitiam explere non valent, hoc in pacifica bonitate simulare. *Greg. 10. c. 27. mor. exponens illud Job. 12. Deridetur justi. simpl.*

12. Justorum sapientia est, nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire: vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare: sed hæc justorum simplicitas deridetur, quia et à mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Quid namque stultitius videtur mundo, quam mentem verbis ostendere: nihil machinatione callida simulare? nullas injuriis contumelias reddere? pro maledicentibus orare? pauperlatem quærere? possessa relinquere? rapienti non resistere? percutiendi maxillam alteram præbere? *Ibidem.*

13. Ad veram sapientiam pervenire non possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fiducia desipiunt. *Gregor. in moral.*

14. Summa cura providendum est, ne accepta sapientia, cum ignorantia tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, et jam sapientia esse nequeat, quæ etsi locutionis virtute fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscurat. *Ibidem.*

15. Vera scientia afficit, non extollit, nec superbiens quos impleverit, sed lamentantes facit, quæ quisque quum repletus fuerit, priori loco, se scire appetit, et jam sui conscius, tanto per illam robustius sapit, quanto se infirmum in illa verius recognoscit. *Ibidem.*

16. Prima sapientia est, vita laudabilis, et apud Deum pura mens, per quam puri puro junguntur, et sancti sancto sociantur. *Greg. Nazianz. in Apolog.*

17. Ille mihi videtur esse sapiens, qui pauca qui-

dem de virtute animi commonet et proloquitur, plura autem in suis actibus atque operibus ostendit, et fidei verbis operum suorum stipulatione confirmat. *Ibidem.*

18. Sapientia illa clara est, non quæ in verbis volat, sed quæ virtutibus constat. *Ibidem.*

19. Sæpe dum quosdam major scientia erigit, à cæterorum societate se disjungunt, et quasi quo plus sapiunt, eo à concordia virtute desipiunt: sed hi audiant, quid per semetipsum, veritas dicat. *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos.* Sal quippe sine pace, non virtutis est donum, sed damnationis argumentum. Quo enim quisque melius sapit, eo deterius delinquit, et ideo inexcusabiliter merebitur supplicium, quia prudenter si voluisset, potuit vitare peccatum. *Gregor. in pastor.*

20. Ille scire Deum familiarius appetit, qui præ amore pietatis nescire desiderat, quod carnaliter scivit. *Gregor. in moral.*

21. Vides quod non probat multa scientem, si modo sciendi nescierit. Vides quomodo fructum et utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit. Quid ergo dicit, nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat? quo ordine, ut illud prius, quod maturius movet ad salutem: quo studio, ut illud ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine, ut non ad inanem gloriam, curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad tuam et aliorum ædificationem. *Bern. super Cant. serm. 56. exponens illud Cor. Si quis existimat se scire, etc.*

22. Sol non omnes, quibus lucet, etiam calefacit: sic sapientia multos, quos docet, quid sit faciendum, non continuo etiam accendit ad faciendum. Aliud est nullas divitias scire, aliud est possidere: nec notitia divitem facit, sed possessio. *Bern. super cant. serm. 15.*

23. *O utinam saperes, et intelligeres, ac novissima provideres:* saperes quæ Dei sunt: intelligeres, quæ mundi sunt: provideres quæ inferni sunt: profecto inferna horreres, superna appeteres, quæ ad manus sunt contemneres. *Bernar. in quadam epist.*

24. Sunt qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, et turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant: verbi causa, pro pecunia, pro honoribus, et turpis quæstus est: et sunt qui scire volunt, et sciuntur ipsi, et turpis vanitas est: sed sunt quoque, qui scire volunt, ut ædificent, et charitas est: et sunt qui scire volunt, ut ædificentur, et prudentia est. *Bern. super Cant. serm. 36.*

25. Præcedit enim scientia virtutis cultum, quia nemo potest fideliter appetere quod ignorat, et malum nisi cognitum sit, non timetur. *Chrys. in polio. l. 5.*

26. Ad majoris culpæ cumulum pertinet, scire quemquam, quid sequi debeat: et sequi nolle, quod sciat. *Isid. lib. 2. de sum. bon.*

27. Plerique accepta scientia litterarum, non ad Dei gloriam, sed ad suam laudem utuntur, dum de ipsa extolluntur, et ibi peccant, ubi peccata emendare debuerunt. *Ibidem. lib. 5.*

28. Quanto sunt majora literaturæ studia, tanto animus arrogantia fastu, et inflatu majore intumescit jactantia. *Ibidem.*

29. Frustra in nobis divinæ cognitionis abundantia crescit, nisi in nobis divinæ dilectionis flammam auget. *Hug. de vanitate mundi.*

30. Nihil sapientia ardentius diligitur, nihil dulcius possidetur. Hinc est, quod sapientes homines esse volunt, pauci tamen sapientes esse possunt: justi autem omnes esse potuissent, si esse justii perfecte voluissent. Sapientiam et multum diligere potes, et ipsa carere potes: sed quanto amplius justitiam dilexeris, tanto justior eris. *Richar. de contemp. c. 4.*

31. Oium stultitiam, labor scientiam generat. Scientiæ labor in tria dividitur, scilicet in laborem disciplinæ, exercitii et doctrinæ. In pueritia labor disciplinæ, in juventute exercitii, in senio doctrinæ: ut quæ nescit, in pueritia discat, quæ didicit, in juventute ad usum ducet, quod ad usum duxerit, in senio doceat. *Hugo de claustris animæ, lib. 2.*

32. Si quis familiariter scientiam amare didicerit,

et ei sapius vacare voluerit, jucundam valde reddit vitam, et maximam in tribulatione præstat consolationem. *Hug. in didascalicon. lib. 5.*

33. Scientia litterarum, quod primum est, in homine mores purgat, quod secundum, verborum subministrat gratiam: ita utroque beneficio, et tacitos ornât, et loquentes, cujus est facere de irato benevolunt, de suspecto placatum, de austero mitem, de adversante propitium. *Cass. lib. 5. epist.*

34. Scientia violentia non aufertur, antiquitate non corrumpitur, absconsione minuitur, et communicatione multiplicatur. *Cass. in epist.*

35. Nam ad Rempublicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium rerum præsto est sapientia, hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honor, dignitas confluere debent. In hac enim excelsa, sita est vitæ honestas, et in negligenda turpitudine. *Tullius in prolog. Rhetor. 4.*

36. Sapientis est nihil admirari quum acciderit, nihil ante, quam evenerit, non evenire posse arbitrari. *Tullius in quadam epist.*

37. Sapientia est rerum divinarum humanarumque scientia cognitioque: quæ cujusque rei causa sit: ex quo efficitur, ut divina imitentur: humana omnia inferiora virtute ducat. *Ibid. in 4. Tusc.*

38. Sapientia ars vivendi putanda est, quæ mæstitiam pellit ex animis, quæ exhorrescere metu non sinit, quæ præceptrice in tranquillitate vivi potest, cupiditatum ardore restincto. *Ibid. 2. defn.*

39. Totius prudentiæ compendium in litteris continetur. Si respublica regenda est, si prælia committenda sunt, si castra mutanda, si machinæ erigendæ, si renovandi aggères, si propugnacula faciendæ, si militiæ cultus, si reverentia legum, si finitimarum gentium amicitia sunt servandæ, libri hæc omnia erudiunt ad perfectum. Princeps quidem sine litteris, est navis sine remige, et volucris sine pennis. *Pet. Rav. in quadam epist.*

40. In litteris prudens invenit unde sapientior fiat,

ibi bellator reperit unde animi virtute roboretur, inde princeps accipit, quomodo populos sub æqualitate componat: nec aliqua in mundo potest esse fortuna, quam litterarum non augeat gloriosa notitia. *Ibidem.*

41. Cum sapientia nostris temporibus nullius fructus præmiatur stipendiis, nullius famæ eam favoris aura extollat: ipsa vero pecunia honoris titulos, et laudis emat præconia: sola tamen sapientia super omnem possessionem præeminet generosa possessio, quæ sparsa colligitur, erogata revertitur, publicata suscipit incrementum: per quam nobilis conscientia thesaurus secretis penetralibus mentis innascitur, fructus internæ delectationis acquiritur, hæc est Sol, per quem mentis lumen diescit in tenebris, cordis oculus, deliciosus animi paradus: hæc in cæleste terrenum, in immortale caducum, hominem in Deum deificæ mutationis auctoritate convertit. *Alcanus de complactu natu.*

42. Hoc scio, neminem posse bene vivere, sed nec tolerabiliter, qui est sine sapientiæ studio, quum omnia habueris, tunc et habere scientiam voles, et sapientiam: hæc erit ultimum vitæ instrumentum. *Sen. 17. epist.*

43. Sapiens ad omnem incursum invictus et intensus est. Non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem refert, interritus contra illa ibit, et inter illa sapiens plenus est gaudio: hilaris et placidus, etiam inconcussus cum diis ex pari vivit. *Sen. 60. epist.*

44. Considerat cum quibus vivit, quomodo quid acturus, cogitat semper qualis, non quanta sit. *Sen. 71. epist.*

45. An existimem aliquem non futurum sapientem, qui litteras nescit? sapientia res tradit non verba, de divinis humanisque cogitat: de præteritis, de futuris, de caducis, de æternis, de tempore. *Ibidem.*

46. Rem maximam promittit tibi sapientia, ut te reducat tibi: non ex singulis vocibus sapientes spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Apostoli, núm. 6. in tit. Consideratio, núm. 28, 29. in tit. Cor, núm. 15. in tit. Curiositas, núm. 3, 21. in tit. Discere, núm. 6, 13, 14, 15 et 24. in tit. Doctrina, núm. 33, 46, 47. in tit. Eloquentia, núm. 9. in tit. Fortitudo, núm. 6. in tit. Homo, núm. 28, 29, 30, 31. in tit. Ignorantia, núm. 1. in tit. Laus, núm. 1, 10. in tit. Loquacitas, núm. 1, 5. in tit. Miseria, núm. 15. in tit. Oliositas, núm. 11. in tit. Regere, núm. 1, 5. in tit. Sanctitas, núm. 6. in tit. Vitium, núm. 4.

### SATISFACTIO.

1. Satisfactio est peccatorum causas excidere, et suggestionibus eorum aditum non indulgere. *August. in soliloq.*

2. De quotidianis, brevibus levibusque peccatis, sine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere, *Pater noster, qui es in cælis*: qui jam regenerati sunt ex aqua et Spiritu sancto. Delet hæc oratio minima et quotidiana peccata: delet etiam illa, a quibus vita fidelium etiam sceleratè gesta, sed penitendo in melius mutata discedit. *August. in Enchir. cap. 71.*

3. Nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas dileximus, contrario oppositis lamentis insequamur. *Gregor. in moral.*

4. Oratione propitiatio Dei quaeritur, jejuniu concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur: simulque per omnia Dei imago in nobis renovatur. *Leo papa in serm. de jejun.*

Vide etiam in tit. Abstinentia, núm. 28. in tit. Eleemosyna, núm. 35. in tit. Humilitas, núm. 30. in tit. Lachryma, núm. 3. in tit. Oratio, núm. 14. in tit. Pœnitentia, núm. 20, 24.

### SCANDALUM.

1. Sicut necesse est, ignem calere, et nivem fri-

gere, ita est necesse, ut iniquitas mundi erroribus plena, scandala pariat, perfectorum verò charitas pietatis operibus luceat. *Hier. super ill. Matth. 18. Necesse est ut veniant scandala.*

2. Qui scandalizatur, parvulus est, majores enim scandala non recipiunt. *Hier. super ill. Matth. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, etc.*

3. In quantum possumus, sine peccato, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum oritur, utiliùs scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. *Greg. super Ezech.*

4. Non omnium scandala æqua sunt lance pensanda, aliter namque accipienda sunt scandala pusillorum, et aliter Phariseorum: illorum quippe scandalum de ignorantia, istorum de malitia descendit. Illi scandalizantur, quia veritatem nesciunt, isti quia oderunt. *Bernar. de præcepto et dispensat.*

5. Constat, ubi veritas necessaria in causa non est, nec licite scandalum quodlibet posse committi, nec justè præcipi, nec innoxie consentiri. *Bern. in quadam epist.*

6. Nemini blanditur veritas, neminem palpat, nihil seducit, aperte denunliat, quoniam vè homini illi, per quem scandalum venit. *Bern. super Cant. serm. 4.*

Vide etiam in lit. Correctio, núm. 10, 37, 55. in lit. Detractio, núm. 23. in lit. Exemplum, núm. 18. in lit. Pax, núm. 13. in lit. Præsumptio, núm. 13. in lit. Veritas, núm. 4.

## SCRIPTURA SACRA.

1. Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere, in quibus latet altitudo sapientiæ ut annosissimis acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc con-

tingat, quod eadem Scriptura quodam loco habeat. Quum consummaverit homo, tunc incipit. *August. 2. epist. ad Volusia.*

2. Modus ipse dicendi, quo sacra scriptura contextitur, quamvis omnibus accessibilis, paucissimis tamen penetrabilis. Nam quæ aperta continet, ea quasi amicus familiaris, sine succo ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea vero, quæ in mysteriis occultat, nec eloquio ipso superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, et inerudita, quasi pauper ad divitem: sed invitat omnes humili sermone, quod non solum manifesta sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus aperta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur, his salubriter et prava corriguntur et parva nutriuntur, et magna oblectantur ingenia. *Ibidem.*

3. Quæ disputationes, quæ litteræ quorumlibet Philosophorum, quæ leges quarumlibet civitatum duobus præceptis sunt comparandæ: ex quibus Christus dicit totam legem, et prophetas pendere hujusmodi, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, et proximum tuum, sicut te ipsum?* In his enim duobus mandatis lex pendet, et prophetæ. *Ibidem.*

4. Hic philosophia: quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo creatore sunt. Hic Ethica: quoniam bona vita et honesta non aliunde formatur, quam quum ea, quæ diligenda sunt, et quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus et proximus: Hic Logica: quoniam veritas lumenque animæ rationalis non nisi Deus est. Hic etiam laudabilis Reipublicæ salus: neque enim optime custoditur civitas, nisi fundamento et vinculo fidei, firmæque concordiæ, quum bonum commune diligitur, summum atque verissimum Deus est. *Ibidem.*

5. Scriptura et creatura ad hoc sunt, ut ipse quæ-ratur, ipse diligatur, et qui ipsam creavit, et illam inspiravit. *Aug. 2. de Trinit.*

6. Hæc scientia nihil præcipit, nisi charitatem, nihil culpât, nisi cupiditatem. Quidquid ergo ad hoc pertinet, proprium ejus est. Quidquid autem ad hoc non pertinet, fictum esse cognoscas. *Aug. 5. de doctrin. Christian.*

7. Sic loquitur scriptura, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, virtute magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat. *Aug. 2. super Genesim c. 19.*

8. Quidquid homo extra didicerit, si noxium est, hic damnatur: si utile est, hic invenitur: et quum ibi quisque invenerit omnia, quæ viriliter alibi didicit, multò abundantius ibi inveniet ea, quæ nusquam alibi invenire potuit. *August. de doctrin. Christiana. cap. ult.*

9. Civitatem Dei dicimus, cujus scriptura ea testis est, quæ non in fortuitis animorum motibus, sed planè summæ providentiæ dispositione super omnes omnium gentium litteras, omnia sibi genera humanorum ingeniorum divina excellens auctoritate subjecit. *Aug. de civit. Dei. lib. 11. c. 4.*

10. Major est hujus scripturæ auctoritas, quam omnis humani ingenii perspicacitas. *Aug. l. 15. super Gen. ad litteram.*

11. Si in Scriptura sacra tantum essent, quæ facillime intelligerentur, nec studiose quæreretur, nec suaviter inveniretur veritas. *Aug. de vera relig.*

12. Ad dignitatem scripturæ pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat: ut sic diversis intellectibus hominum conveniens unusquisque miretur, se in divina scriptura posse invenire veritatem, quam mente conceperit: ac per hoc facilius contra infideles defenditur: dum, si aliquid, quod quisque ex sacra scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium sensum recursum possit habere. *Ibidem.*

13. Quilibet lector, qui expositurus sacram Scripturam aggreditur, quum in sacrarum voluminibus litterarum aliqua velut diversam sonante sententiâ sollicitatur, certa et inconcussa fide tenere debet, nusquam

deesse veritatem, etsi non facile propter magnitudinem rei intellectus quærentibus occurrit. *August. de prædest. gratiæ in princ.*

14. Sanctarum scripturarum auctoritatibus colla subdenda sunt, ut ad intellectum quisque per fidem veniat. *August. de baptis. patris.*

15. Titubât fides, si divinarum scripturarum vacillet auctoritas. Porro fide titubante, etiam ipsa charitas languescit. *August. de doctrin. Christiana.*

16. Cælestium scripturarum eloquia diù terere ac polire debemus, toto animo ac corde versantes, ut succus ille spiritualis cibi in omnes se venas animæ diffundat. *Ambr. in lib. de Cain et Abel.*

17. Utere lectione divina vice speculi, sœda corrigendo, pulchra conservando, et pulchriora faciendo, scriptura enim speculum est sœda ostendens, et corrigi docens. *Hier. in epist. ad Damas. Papam.*

18. De scripturis disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere: nec ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus est rivulus nec aures Quintiliani flosculis et scholari declamatione mulcendæ, sed pedestris et quotidianæ similitudinis, et nulla lucubratione redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet. *Hier. in epist. ad Demetr. vir.*

19. Si juxta Apostolum Paulum, Christus Dei virtus est, et Dei sapientia, qui nescit scripturas, nescit Dei virtutem ejusque sapientiam. Ignorantia scripturarum ignorantia Christi est. *Hieron. super Isa. in Proverb.*

20. Meditatio legis est, non solum in legendis scripturis, sed in his etiam, quæ scripta sunt, faciendis. *Hier. super Psalm. 1.*

21. Solent et viri, solent et monachi, solent et mulierculæ hoc inter se habere certamen, ut qui plus ediscunt scripturas, in eis se putent esse meliores. *Ibidem. c. 22.*

22. Ille plus didicit, qui plus facit. Cæterum si quod tu ediscis, ego facio, magis meâ opera scrip-

turas tenent, quam tuus sermo, qui vanè resonat.  
*Ibidem.*

23. Pinguissimus sermo divinus est, omnes in se habens delicias; quidquid volueris, ex sermone divino nascitur, sicut tradunt Judæi: quoniam manna quando comedebant, secundum voluntatem uniuscujusque sic sapiebat in ore. *Hier. super Psal. 147. Et adipe fru. saciat se.*

24. Si quidquam est, quod in hac vita virum sapientem teneat, et inter pressuras et turbines mundi æquo animo manere persuadeat, id esse primum reor, meditationem et scientiam scripturarum. *Hier. super epist. ad Eph. lib. 1.*

25. Non putemus in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in radice rationis.  
*Ibidem.*

26. Sicut stellas cæli non extinguit nox, sic mentes fidelium inhærentes firmamento S. scripturæ, non obscurat mundana iniquitas. *Hier. in quadam epist.*

27. Quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilis fabri. Sola scripturarum est ars, quam sibi passim omnes vendicant. *Hier. in prolo. Bibl.*

28. Scribimus indocti doctique poemata passim: hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt læerare, docent ante, quam discant. *Hieron. ad Demet. vir.*

29. Litterarum et scripturarum ardor nulla prorsus ætate extinguitur, immo, ut singularis auctoris ular sententia, ipsa magis ætate inflammatur. *Ibidem.*

30. Sint scripturæ divinæ semper in manibus, et jugiter mente volvantur, nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere, et operibus oblivisci, sed ideo illa cognosce, ut facias quidquid didiceris. *Non enim auditores legis justi sunt, sed factores, etc. Ibid.*

31. Divinas scripturas sæpius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur: in scripturis divinis, per quas solas potes plane Dei intelligere voluntatem, prohiberi quædam, præcipi quædam, con-

cedi aliqua, suaderi nonnulla, prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta. *Gregor. in Moral.*

32. Scriptura sacra mentis oculis quasi speculum quoddam opponitur, ut ibi interna facies nostra videatur: ibi enim fæda, ibi pulchra nostra conspiciamus, ibi sentimus quantum proficimus, quantumve à profectu longe distamus. *Gregor. in prolog. mor.*

33. Sacra scriptura omnes scientias locutionis suæ more transcendit: quia in uno eodemque sermone dum narrat textum, prodit mysterium: et sicut mysteriis sapientes exercet, sic superficie simplices refovet, habet enim in publico, unde parvulos nutriat et servet in secreto, unde mentes sublimium admiratione suspendat, quasi quidam fluvius, ut ita dixerim, planus et altus, in quo et agnus ambulet, et elephas natet. Mirabilis fluvius est iste, qui est ita planus, quod ibi agnus, id est, simplex et illitteratus potest siccis pedibus transire, et elephas, id est, magnus et subtilis potest natare, imo potest se submergere. *Greg. in moral.*

34. Omnem scientiam atque doctrinam sacra S. transcendit, ut laceam, quod vera prædical, quod ad cælestem patriam invitat, quod à terrenis desideriis cor legentis revocat, quod dictis obscurioribus fortes exercet, et parvulis humili sermone blanditur. Nec igitur clausa est, ut pavesci debeat, nec sic patet, ut vilescat: sed usu fastidium tollit, et tanto plus diligitur, quanto amplius meditat. *Ibidem.*

35. Scriptura sacra aliquando nobis cibus est, aliquando potus: cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, et manducando glutitur: potus vero est in locis apertioribus: quia ita sorbetur, sicut invenitur. *Ibidem.*

36. De statu suo cadente dicendum. Nemo superbiat: de lapsu etiam suo surgente dicendum. Nemo desperet. Ecce quam mirabiliter scriptura sacra eodem verbo superbos premit, quo verbo humiles elevat. Unam namque rem gestam retulit, et diverso modo.

Superbos quidem ad humilitatis formidinem, humiles vero ad spei fiduciam revocavit. Oh inestimabile novi generis medicamentum, quod uno eodemque ordine positum, et premendo tumentia exsiccat, et sublevando arenia infundit: de malorum nos lapsu terruit, sed de reparatione roboravit! *Ibidem.*

37. Quia scriptura sacra ostendit staturam suam in ædificatione morum: ostendit altitudinem in promissione præmiorum, ostendit horribilem aspectum in terroribus suppliciorum. Recta est enim in præceptis, alta in promissis, horribilis in minis. *Greg. in ho. super Ezech.*

38. Scriptura sacra in utroque testamento et monendo recta est, et promittendo alta, et minando terribilis. *Ibidem.*

39. Quod de scripturis sacris auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. *Ibidem.*

40. Divina colloquia cum legente crescunt, nam tanto illa quisque alius intelligit, quanto in eis alius intendit: unde nec elevantur rotæ, si non elevantur animalia: quia nisi legentium mentes ad alta profecerint, divina dicta velut in ianis non intellecta jacent: quum enim legenti cuilibet, scripturæ sacræ sermo, si tepidus divini eloquii sensus videtur; ejus mentem non excitat, et in cogitatione nullo interius lumine emicat tota otiosa, et in terra est, quia animal non elevatur à terra. *Greg. ho. 7. sup. Ezech.*

41. Quo legentis spiritus intendit, illuc divina eloquia levantur: quia si in eis altam quid videndo et consentiendo quæsieris, hæc eadem sacra eloquia tecum crescunt, tecum in altioribus ascendunt. *Ibid.*

42. Vadunt animalia ad utilitatem proximi, stant ad custodiam sui, elevantur ad contemplationem Dei, sed et rotæ pariter vadunt: stant et elevantur: quia quæsita sacra lectio talis invenitur, qualis et sit ipse, à quo quæritur. Ad activam vitam profecisti, ambulat tecum. Ad immobilitatem atque constantiam profecisti, tecum stat. Ad contemplativam vitam per Dei gratiam pervenisti, volat tecum. *Ibidem.*

43. In sacro volumine scriptæ sunt lamentationes, id est, pœnitentiæ peccatorum, carmen vero, quia ibi prænuntiantur gaudia justorum, væ autem, quia illic expressa est damnatio reproborum. *Gregor. ho. 5. super Ezech.*

44. Tanta ac talis est divinæ Scripturæ sublimitas, ut non solum verba, quæ à Sanctis vel ab ipso Domino dicta referuntur, sed etiam circumstantiæ rerum, quæ simpliciter positæ videntur, spiritualibus sunt plenæ mysteriis. *Greg. in ho.*

45. Liber, qui viscera replevit, dulcis in ore, sicut mel factus est: quia ipsi de omnipotente Deo sciunt suaviter loqui, qui hunc didicerunt in cordis sui visceribus veraciter amare. In ejus quippe ore scriptura sacra dulcis est, cujus vitæ viscera mandatis illius replentur: quia ei suavis est ad docendum, cui interius impressa ad vivendum fuerit. *Greg. ho. 10. Ezech.*

46. Inter mille secularium sermonum talenta vix centum denarios spiritualium poteris invenire verborum, imo nec decem quidem obolos. *Chrys. super Matth. c. 1.*

47. in scripturis enim ignorans invenit quid discat, contumax, quid timeat, laborans præmia, pusillanimis mediocris justitiæ cibos, qui et si pinguem non faciunt animam, mori tamen non permittunt. Qui autem magni animi est, invenit ibi spirituales escas, quæ perducant eum prope ad angelorum naturam, qui vero est vulneratus à diabolo, invenit ibi cibos medicinales, et salutem per pœnitentiam. *Chrys. super Matth. 22. Omnia parata sunt.*

48. Quidquid terribile est in scripturis, usu vilescit, propterea clericus qui semper meditatur scripturas, aut omnino observaturus est, et erit perfectus, aut si semel cœperit illa contemnere, nunquam excitat in illis, ut timeat. *Chrys. ho. 25. sup. Matth.*

49. Omnis latitudo scripturarum in oratione Dominica, et symboli brevitate concluditur. *Isid. lib. 1. de sum. bon.*

50. Geminum confert donum lectio sanctarum scrip-

turarum, sive quia mentis intellectum erudit, seu quod à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit *Ibidem. lib. 3.*

51. Quanto magis quisque in sacris eloquiis assiduus fuerit, tanto ex eis uberiorem intelligentiam capit. *Ibidem.*

52. Quid prodest in mundanis proficere doctrinis et inanescere in divinis: caduca sequi figmenta, et cœlestia fastidire mysteria? Cavendi igitur tales libri, et propter amorem sanctarum scripturarum vitandi: qui exterius eloquentia verborum nitent, et interius vacui virtutis sapientia manent. Eloquia autem sacra exterius incorrupta verbis apparent, intrinsecus autem mysteriorum sapientia fulgent. *Ibid. de li. gent.*

53. Sacra scriptura est liber vitæ, cujus origo æterna, cujus incorporalis essentia, cujus cognitio vita, cujus scriptura indelebilis, cujus inspectus desiderabilis, cujus doctrina facilis, cujus scientia dulcis, cujus profunditas inscrutabilis, cujus verba innumerabilia, et unum tantum verbum omnia. *Hugo de arc. Noë.*

54. Nihil in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nihil ita mentem ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil ita hominem excitat et adjuvat ad omne opus, et ad omnem laborem ac studium sacrae scripturae. *Hugo de lib. anim.*

55. Ad sacrae scripturae cognitionem opus est intima compunctione, potius quam profunda investigatione, suspiriis, quam argumentis: crebris gemilibus, quam copiosis argumentationibus, lachrymis, quam sententiis, oratione, quam lectione, gratia lachrymarum, quam scientia litterarum, cœlestium potius contemplatione, quam terrestrium occupatione. *Ibidem.*

56. In refectorio sacrae scripturae tres mensa, id est, tres intellectus divinae scripturae ponuntur, videlicet historialis, mysticus et moralis: prima mensa simplicibus, secunda doctoribus, tertia communis est utrisque, in prima cibus est grossior, in secunda subtilior, in tertia dulcior. Prima continet saporem exemplorum: secunda vim mysteriorum: tertia dulcedinem

morum. Prima pascit miraculis, secunda figuris, tertia verbis. *Ibid. lib. 30.*

57. In sacra scriptura quidquid docetur, veritas, quidquid præcipitur, bonitas, quidquid promittitur, felicitas est. Nam Deus veritas est sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria. *Ibidem.*

58. Vere coruscus liber psalmodum, sermo lampalis, cura sauciati cordis, favus interioris hominis, occultarum lingua virtutum, quæ superbos humilitati inclinat, reges pauperibus subdit, affabilitate parvulos nutrit. *Cass. super Psalm. 15.*

59. Schola cœlestis, eruditio vitalis, auditorium veritatis, disciplina certissime singularis, quæ discipulos occupat sensibus fructuosus, non inanium lenocinatione verborum. *Ibidem. 5.*

60. Alleluja, hujus verbi tantus honor est, ut cum sit in Hebræa lingua reconditum, nullo tamen constat alio sermone translatum: hoc tenet cuncta natio terrarum, et quidquid est deditum deitati, dignitatem hujus nominis pia devotione veneratur. *Ibidem. 447.*

61. Cui assimilabantur verba legis et prophetarum antequam veniret? Salomonis puteo, cujus aquæ sunt profundæ et frigidæ, et non poterat homo bibere de illis: sed quid fecit quidam subtilis? conjunxit funem funi, et lineam lineæ, et hausit, et bibit: sic processit Salomon de similitudine ad similitudinem, de parabola ad parabolam, donec stetit super secretis legis. *Rab. Moy. lib. 1. c. 1.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 13. in tit. Destructio, núm. 1. in tit. Devotio, núm. 10. in tit. Doctrina, núm. 1, 13. in tit. Ecclesia, núm. 23. in tit. Excusatio, núm. 7. in tit. Fabula, núm. 1, 2, 7. in tit. Philosophia, núm. 2. in tit. Prædicatio, núm. 40. in tit. Sanctitas, núm. 24, 25.

### SECULARIS.

1. Non mediocre periculum est, cum habeas tanta eloquia Dei, et Dei opera quæ fecit, illis prætermisiss,



loquaris quæ seculi sunt, audias quæ seculi sunt. Incumbit virtuti seculi, qui desperat de adiutorio Dei. *Ambr. sup. Beati immacula.*

2. Hunc mundus accipit, qui ad desideranda invisibilia non surgit. Seculares enim mentes quanto magis foris per secularia desideria dilatant, tanto magis sinum cordis ab ejus receptione angustant. *Greg. lib. 3. Moral.*

3. Sicut homo graves habens oculos, melius in loco tenebroso, quam in sole positus videt: sic homo terrenus in terrenis est astutus, et in spiritualibus cæcus. *Chrys. super Matth. 6. Si lumen.*

4. Hi sunt martyres seculi, mundi professores, discipuli curiæ, milites eloquii, per multas siquidem tribulationes intrant justi in regnum cælorum: hi tamen per multas tribulationes promerentur infernum. *Pet. Rav.*

Vide etiam in lit. Martyrium, núm. 2. in lit. Otiositas, núm. 10. in lit. Prædicatio, núm. 2. in lit. Scriptura Sacra, núm. 42.

### SECURITAS.

1. Nemo securus debet esse in vita ista, quæ tota tentatio nominatur, ut qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. *August. lib. 40. conf.*

2. Nemo securus est in his bonis, quæ potest in vitiis amittere, veritatem atque sapientiam nemo amittit invitus. *August. de lib. arbitr. lib. 2.*

3. Nunquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec infra unam cavernam habitans cum lupo tutus est agnus. Ipse voluit penetrari; qui hostem proprium in suas partes induxit, et intestinum sibi gladium ipse supponit, qui locum habitationis suæ adversarii ingressibus reseravit. *Hier. de cohab. cler. et mulierum.*

4. Sæpe mens dum virtutis suæ securitate resolvitur, insidiante adversario inopinatæ culpæ telo per-

foratur: et inde à Deo in æternum longe fit, unde ei ad tempus sine cautelæ custodia propinquaverit. *Greg. in moral.*

5. Incassum munita sunt cætera, quum locus unus, de quo hosti patet aditus, non est munitus. *Ibidem.*

6. Væ nobis miseris, qui de electione nostra, nullam adhuc Dei vocem cognovimus, et jam in olio quasi de securitate torpemus. Debet profecto in spe esse securitas, sed etiam timor in conversatione, ut et illa certantes foveat, et torpentes pungat. *Ibidem.*

7. Sæpe quem tentationis certamen superare non valuit, sua deterius securitas stravit. *Ibidem.*

8. Quælibet occulta loca sine gratia infusa animas servare non possunt: nam Loth in ipsa perversa civitate justus fuit, in monte peccavit. Sed ista cur dicimus, cum majora noverimus? Quid enim paradiso jucundius, quid cælo securius? et tamen homo de paradiso, et angelus de cælo peccando cecidit. *Greg. in ho. quad. et ponitur 40. distin.*

9. Quibusdam sæpe magnitudo virtutis occasio fuit perditionis: ut cum de confidentia virium inordinate securi essent, per negligentiam inordinate morerentur. Mater enim negligentia solet esse securitas. Videndo ergo meretricem, id est, Magdalenam, de tua liberatione non desperes, sed etiam Judam cogitando, securus esse non debes. Confidentia stantem evertit: et desperatio post lapsum exurgere non dimittit. *Greg. in pa.*

10. O vita segura, ubi absque formidine mors expectatur, imo et exoptatur cum dulcedine, et excipitur cum devotione. *Bern. ad mil. templ.*

11. Nusquam est securitas, fratres, nec in cælo, nec in paradiso: multo minus in mundo. In cælo enim cecidit angelus sub præsentia divinitatis, in paradiso Adam de loco voluptatis, in mundo Judas de schola salvatoris. *Bern. in ser.*

12. Nihil potest esse securius, quam illi omnia committere, qui novit suis cultoribus congrue profutura præstare. *Cass. super Psal. 72.*

13. Sic comedo, bibo et dormio securus, quasi jam transierim diem mortis, et evaserim diem iudicii, et tormenta inferni. Sic ludo et rideo, quasi jam regnem tecum in regno tuo. *Hug. lib. 5. de anima.*

14. Securitas est, incommoditates imminentes et rei inchoatæ fines non formidare. *Tullius in Rhet.*

15. Securitas magnæ portio est, nihil inique facere: confusam vitam et perturbatam potentes agunt, tantum metuunt, quantum nocent. *Sen. 16. epist.*

16. In ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, et contra injuriam fortunæ inter beneficia firmetur. Qui enim in ipsa re trepidare noluerit, ante rem se exerceat. *Sen. 25. epist.*

Vide etiam in tit. Avaritia, núm. 31. in tit. Conscientia, núm. 29. in tit. Contemplatio, núm. 5. in tit. Divitiæ, núm. 38. in tit. Error, núm. 9. in tit. Fides, núm. 32, 37. in tit. Laus, núm. 2.

### SENECTUS.

1. Quomodo sibi homines optant senectulem, quid aliud optant, nisi longam infirmitatem? *August. de Catechizandis rudi.*

2. Si senectus nostra puerilis, et pueritia senilis, id est, ut nec sapientia nostra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia. *Aug. super Psal. 115.*

3. Oportet, ut senilis sermo non solum sit gravis, sed etiam brevis. *Aug. in quod. serm.*

4. Infantia nostra innocentia sit, pueritia sit reverentia, adolescentia patientia, juvenus virtus, senium meritum, senectus nihil aliud, quam canus sapiensque intellectus. *Ibidem.*

5. Cum cuncta vitia in sene senescant, sola avaritia juvenescit. *Ibidem.*

6. Quid naturam accusas, o homo? habet illa impedimenta quædam, senectutem et infirmitatem: sed senectus ipsa in bonis moribus dulcior: in consiliis subtilior, ad constantiam subeundæ mortis potior, ad reprimendas libidines fortior: infirmitas corporis, sobrietas mentis est. *Ambr. in exam. lib. 1.*

7. Pascha, Hebraicè dicitur transitus, scilicet, quia per hoc mysterium de peioribus ad meliora transitur. Bonus transitus est, de peccato transire ad iustitiam, de vitiis ad virtutes, de senectute ad infantiam: ad infantiam autem dico, non ætatis, sed simplicitatis. *Ambr. in serm. de Pascha.*

8. Ætates quædam sunt meritorum: nam et senectus morum, invenitur in pueris, et innocentia infantium invenitur in senibus. *Ibidem.*

9. Nemo enim tam fractis viribus, et decrepitæ senectutis est, ut non se putet unum adhuc annum esse victurum. *Hier. in quadam epist.*

10. Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus, et crescente sola sapientia, decrescunt cæteræ vires. *Hier. in epist. ad Nepot.*

11. Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, et in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate sit doctior, usu certior, processu temporis sapientior, et veterum studiorum fructus dulcissimos metit. *Ibidem.*

12. Inter abusiones hujus seculi, sola major est senis obstinatio, qui morti proximus, mortis non abhorret adventum, qui quasi ad ostium hujus mundi positus, foris spectat, nec tamen vitæ præsentis attendit egressum, nec futuræ considerat. Audit nuntios mortis, et credere non vult eis. Tres sunt enim nuntii mortis, casus, infirmitas, senectus. Casus dubia, infirmitas gravis, senectus certa nuntiat. Casus nuntiat mortem latentem, infirmitas apparentem, senectus præsentem: Ex incertitudine mortis timor, ex infirmitatis gravitate dolor, ex certitudine senectutis non obstinatio, sed afflictio et humilitas sequi deberet. *Hugo. de claustro anim. lib. 2.*

13. Canities tunc est venerabilis, quando ea gerit, quæ canitiem decent: quomodo vero juveniliter senex conversatur, plus juvenibus ridiculus erit. *Chry. super epist. ad he. ser. 7.*

14. Plus omnibus religioni operam dare senibus convenit, quos præsentis seculi florida ætas transacta deservit. *Cyprian.*

15. Quid stolidius fieri potest, si mens ad perfectionem festinare non contendat? quando totius corporis habitu senectute confectus homo ad interitum properat, dum oculi calligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suaviter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos et pedes tumor instat? Homo interior, qui senescit, his omnibus aggravatur, et hæc omni ruituram jam domum nostri corporis cito prænuntiant. *Ibidem.*

16. Quid superest, nisi dum hujus vitæ defectus appropinquat, nihil aliud cogitare, quomodo futuræ aditus prosperitatis comprehendatur, quisque senex appetatur? Juvenibus enim incertus hujus vitæ terminus instat: senibus vero cunctis maturior ex hac luce recessus. Cavendæ ergo sunt homini duæ particulæ, quæ in illius carne non veterascunt, et totum hominem ad peccandum trahunt, cor videlicet et lingua. *Ibidem.*

17. Sicut non sunt omnes viventes pari modo, vel ferventes spiritu vel disciplinis ac moribus optimis instituti: ita nec senes quidem cuncti uno modo, vel perfecti possunt, vel probatissimi reperiri. Divitiæ enim senum non sunt canities capitis, sed industria juventulis, ac laborum præteritorum stipendiis meliendæ. *Joan. Cass. colla. abbatis Moysi. secunda ca. 12.*

18. Non omnium seniorum, quorum capita canities legit, quosque vitæ longuævitas sola commendat, nobis sunt imitanda vestigia, vel sectanda, seu traditiones ac monita suscipienda: sed eorum quos laudabiliter vitam suam, ac probatissimè comperimus in juventute signasse, nec præsumptionibus propriis, sed majorum traditionibus institutos. *Ibidem.*

19. Sunt nonnulli, quorum etiam, quod est lugubrius, major pars sine dubio reperitur: qui in tempore suo, quæ ab adolescentia sua conceperunt, atque ignavia senescentes, auctoritatem sibi non maturitate morum, sed annorum numerositate conquirunt. *Ibidem.*

20. Nihil est, quod senectuli magis noceat, ac dies hominis abbreviet, quàm tristitia, languor animi, atque ira. Nihil enim est hilari senectute jucundius. *Cass. in quad. epist.*

21. Omnium ætatum certus est terminus: senectutis autem nullus certus est. *Cic. in ca. Matth.*

22. Senibus labores corporis sunt minuendi: exercitationes animi augeri videntur. *Ibid. 1. Offic.*

23. Amplectenda est et amanda senectus: plena est voluptatis, si illâ scias uti. Gravissima sunt poma, quum fugiunt. Deditos vino potio extrema delectat, quod in se jucundissimum hominis voluptas habet, in finem suum differt. *Sen. 12. epist.*

24. Jucundissima est ætas devexa jam, non tamen præceps, quam dulce est cupiditates fatigasse aut reliquisse? *Ibidem.*

25. Molestum est, mortem ante oculos habere. Primum ista tam seni ante oculos debet esse, quam juveni. Deinde nemo tam senex est, ut improbè unum diem non speret. Unus autem dies gradus vitæ est, unus autem dies par omni est. *Ibidem.*

26. Gratias ago, non sentio in animo ætatis injuriam, cum sentiam in corpore tantum vitia, et vitiorum ministeria: senum ut viget animus, et gaudet non multum sibi esse cum corpore; portus aliquando petendus, nusquam recusandus. *Sen. epist. 10.*

27. Nihil turpius, quam senem vivere insipientem. *Sen. epist. 12.*

28. Numera annos tuos, et pudebit eadem velle, quæ volueras, moriantur ante te vitia. *Ibid. 25.*

29. Turpis et ridicula res est, elementarius senex. Desine eadem velle senex, quæ voluisti puer: hoc opus sit, hæc cogitatio, imponere veteribus malis finem. *Ibid. 62.*

30. Monstro similis est avaritia senilis. Quid enim stultius est, ut dici solet, quam via deficiente augere viaticum? *Sen. in lib. de morib.*

31. Honestior est, qui ad otium senectutem retulit, quam qui in otio invenit, et tunc laborare incipiat. *Ibidem.*

32. Anus quum ludit, morti delicias facit: heu quam miserum est, fieri metuendo senem! frustra ad senectam ventum est, cum repetas adolescentiam. Senectuti familiaris loquacitas, thesaurum in sepulchro ponit, qui senem heredem facit. *Ibidem.*

33. Senex facile provocatur, et difficile revocatur: cito credit, et tarde discredet, tenax et cupidus, tristis et querulus, velox ad loquendum, et tardus ad audiendum: laudat antiquos, et spernit modernos: vituperat presentia, et commendat praeferita, suspirat et anxiatur, torpet et infirmatur. Audi Poëtam: Multa senem circumveniunt incommoda. *Innoc. de vilitate cond. human.*

Vide etiam in tit. Avaritia, núm. 20. in tit. Castitas, núm. 18. in tit. Consilium, núm. 44. in tit. Conversio, núm. 29. in tit. Correctio, núm. 43. in tit. Juventus, núm. 2, 3, 4, 5, 6, 8. in tit. Mors, núm. 57, 76, 77. in tit. Regere, núm. 18.

### SERVITUS.

1. Bonus etiam si servit, liber est: malus autem, etsi regnet, servus est, nec est unius hominis: sed quod gravius est, tot dominorum, quot vitiorum. *August. lib. 4. de Civit. Dei.*

2. Servit quicumque, vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mærore dejicitur, servilis enim est omnis passio. *Ambr. de Jacob, et vita beata lib. 2.*

3. Est sapienti servire, libertas: ex quo colligitur, quod stulto imperare, servitus est: et quod pejus est, cum paucioribus præsit, pluribus dominis et gravioribus servit. Servit enim propriis passionibus, servit suis cupiditatibus, quarum dominatio nec nocte, nec die fugari potest: quia intra se dominos habet, intra se servitium patitur intolerabile. *Hier. in epist. ad Simplic.*

4. O extrema conditio servitutis! natura liberos

genuit, sed fortuna servos constituit, servus cogitur pati, et nemo sinitur compati: dolere compellitur, et nemo condolere permittitur. Sic ipse vero servus est, ut nemo sit sibi: miseri, qui castra sequuntur, et miserum est aliena vivere quadra. *Innoc. de vilitate cond. human.*

5. Servitus est obedientia fracti animi et abjecti arbitrio carentis suo. *Cicer. in Para.*

6. Cum omnis servitus est misera, tum vero intolerabile servire impuro, impudico et affeminato. *Ibid. Philip. 5.*

7. Qui servitute contempserit, in qualibet turba dominantium liber est. *Sen. 28. epist.*

8. Servi sunt, imo homines: servi sunt, imo contubernales: servi sunt, imo humiles amici: servi sunt, imo conservi, si cogitaveris tantundem in utroque licere fortunæ. Itaque derideo istos, qui turpe existimant, cum servo cænare. Superbissima enim consuetudo cænantis domino stantium servorum turbam circumdedit: majestatis suæ diminutionem putant ad eandem mensam cum servo accedere. *Sen. 47. epist.*

9. Infelicibus servis movere labia, ne hoc quidem ut loquantur, licet: sed sic fit, ut isti de Domino loquantur, quibus coram Domino loqui non licet. At illi, quibus non tantum coram dominis, sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro Domino porrigere cervicem, in conviviis loquebantur, sed in tormentis tacebant. *Ibidem.*

10. Vis tu cogitare illum, quem servum tuum vocas, ex eisdem seminibus ortum, eodem frui cælo, æque spirare, æque vivere, æque mori? tam tu illum ingenuum videre potes, quam ille te servum. Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, et aliis intrantibus excludi: Martiana clade multos splendidissime natos fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit. *Ibidem.*

11. Sic cum inferiore vivas, quemadmodum superiorem tecum vivere velis. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in servum liceat, veniat in men-

tem, tantundem in te domino tuo licere. At ego, inquis, nullum habeo dominum: bona ætas est, forsitan habebis. Nescis qua ætate Hecuba servire cœperit, qua Cræsus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes? *Ibidem.*

12. Erras, si existimas, me quosdam quasi sordioris operæ rejecturum, utpote illum mulionem, et illum bubulcum: non ministeriis illos æstimabo, sed moribus. Sibi quisque dat mores, ministeria cassus assignat. *Ibidem.*

13. Servus est, sed fortasse liber animo. Servus est, ostende quis non sit: alius libidini, alius avaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Nulla servitus turpior est, quam voluntaria. *Ibidem.*

14. Paucos servitus, plures servitum tenent. *Sen. 22. epist.*

15. Qui in servos suos irascitur, et crudelis est, satis ostendit, potestatem adversus alienos sibi defuisse. *Senec. lib. de morib.*

16. Servis tuis hilarem te præstes, non superbum: superiorem te colant potius, quam timeant. *Senec. 47. epist.*

17. Si quis existimat, servitutem in totum hominem descendere, pars ejus melior est excepta, corpora obnoxia sunt, et adscripta dominis, mens quidem sui juris est. *Senec. 5. de benefic.*

18. Plerique hominum stulti sunt, qui serviles et cibos et servilem fugiunt vestem, serviles mores non fugiunt. *Senec. de morib.*

19. Liberi servique personam veritas separat, servum liberumque mendacium miscet. *Ibidem.*

20. Cum Diogenes ex libertate in servitutem venderetur, et eum quidam emere vellet, quid servitutis sciret, percunctatus est. Respondit, novi, inquit, hominibus liberis imperare: at ille eum manumisit, filiosque ei tradens: *Accipe, inquit, liberos meos, quibus imperes. Aul. Gell. lib. 2.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 25, 27. in tit. Divitiæ, núm. 16. in tit. Mors, núm. 3. 11. in tit.

Patentia, núm. 26. in tit. Relinquere, núm. 13. in tit. Sacramentum, núm. 1.

### SERVITIUM.

1. Vis ut serviat caro tua animæ tuæ? Deo serviat anima tua: debes regi: ut possis regere. *Aug. super Joan.*

2. Quum mihi accidit, ut me amplius cantus quam res, quæ canitur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. *Aug. lib. 10. Conf.*

3. Prudenter sibi Deus serviri vult, non ut inmielate sua debiles fiant: et postea medicorum suffragia requirant. Temperandum est enim, ut si fieri potest, cœptum obsequium magis provehatur, quam per inconsiderantiam minuatur: intemperantia enim ipsam animam inquietam facit, ut quum de infirmitate sollicita est, non tantum dedita sit divinis servitiis. Damnum ergo affert improvidentia. Anima enim in tranquillitate posita totum cor extollit ad Deum, integro consilio obsecrans, quæ petenda sunt. *Amb. super epist. ad Timot. sup. ill. Modico vino utere.*

4. Qui accingi in divino servitio properat, quid aliud, quam se contra antiqui adversarii certamen parat? ut liber in certamine ictus suscipiat, quietus sub tyrannide in captivitate serviat. Unde cum Deo pax robustior oritur, nobis ab adversariis durior pugna reservatur. *Gregor. in moral.*

5. Nemo potest in una et eadem re omnipotenti Deo servire, alque ejus hostibus gratus existere. Nam Deo amicum se denegat, qui ejus placet inimico. *Greg. in quad. hom. sup. Ezech.*

6. Nonnulli terreno judici tota die adsistere fortes sunt: in oratione vero coram Domino eliam unius horæ momento lassantur. *Greg. in moral.*

7. Revelatur servo Dei potestas, mercenario felicitas, filio veritas: Servus dicit: *Vadam ad portas inferi. Mercenarius, non videbo Dominum Deum meum*